

*praesumptor edixerat, episcopali audientiae reservamus, his manentibus, quae circa eos sanxit antiquitas.*

Quid clarius, quid religiosius dici potuit?

*Fas enim non est, ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio*<sup>1</sup> . . . . .

Si tyrannus invidens et infaustus praesumptor ecclesiasticos dehonestavit, videat episcopus similiter agens, ne similiter cognominari mereatur.

## 4.

*Imperator Honorius et Theodosius Augustus . . . . .  
Vacent ecclesiae solis, quibus bene conscientiae (sic) sunt, divinae praedicationis officiis, cuncta in orationibus celebrandis horarum omnium momenta consument. Gaudeant nostra [in] perpetuum liberalitate munitae*<sup>2</sup>, *quarum nos erga cultum pietatis aeterna devotione gaudemus*<sup>3</sup> . . . . .

Hanc vacationem praedicationum et orationum perturbat episcopus, qui et ceteros ad saecularia jurgia pertrahit et ipse contempta quiete ac verecundia ecclesiastica contentionibus insanis et spectaculis gladiatoris praesidet.

## 5.

*Imperator Honorius et Theodosius Augustus. Episcopos, presbyteros, diaconos et quoscumque inferioris loci Christianae legis ministros ab episcopis solum, non ab alio, oportet accusatos audiri.*<sup>4</sup>

Luce clarior sententia, quam in his regionibus etiam a laicis hactenus observatam nunc per episcopum metuimus subruendam. Qui cum boni nihil statuatur, miror, cur bene statuta convellit?

## 6.

*Imperator Constantinus Augustus. Iudex pro sua sollicitudine observare debet, ut, si a se ad episcopos provocetur, silentium accomodet. Et si quis ad legem Christianam negotium transferre voluerit et illud iudicium observare, audiatur,*

<sup>1</sup> Aus const. Sirmond. 6. Haenel l. c. col. 456.

<sup>2</sup> Cod. *unitate*.

<sup>3</sup> Aus const. Sirmond. 11. Haenel l. c. col. 463.

<sup>4</sup> Eine Abbreviation der const. Sirmond. 15. Haenel l. c. col. 471.